

etas increpanda. Si uero speculator taceat. ipse impius
in iniquitate sua morietur. quia impietatis eius meritum fuit.
ut dignus non esset ad quem speculatoris sermo fieret. Sed
sanguinem eius dominus de manu speculatoris requiret. quia
ipse hunc occidit. qui eum tacendo morti tradidit. In quibus
utrisque pensandum est. quantum sibi conexa sunt peccata sub
ditorum atque prepositorum. quia ubi subiectus ex sua culpa mo
ritur. ibi is qui preest. quoniam tacuit. reus mortis tenetur. Pensa
te ergo fratres karissimi pensate. quia et quod nos digni pastores
non sumus. etiam ex uestra culpa est. quibus tales prelati sumus.
Et si quando uos ad iniquitatem defluitis. etiam ex nostro hoc reatu
est. quos obsistentes atque reclamantes in prauis desideriis non ha
betis. Vobis enim et nobis parcitis. si a prauo opere cessatis. Vobis
enim et nobis parcimus. quando hoc quod displicet non tacemus.
O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat predicator e
gregius. qui dicebat. Mundus sum a sanguine omnium. non enim
subterfugi. quominus annuntiarem omne consilium dei uobis.
Si enim non annuntiasset. mundus a sanguine non esset. Sed quibus
omne consilium dei annuntiare studuit. ab eorum sanguine mundus
fuit. In qua uoce nos conuenimur. nos constringimur. nos rei esse
ostendimur. qui sacerdotes uocamur. qui super ea mala que propria
habemus. alienas quoque mortes addimus. quia tot occidimus.
quot ad mortem ire cottidie trepidi et tacentes uidemus. Cum
uero dicitur. sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si hoc
in loco sanguinis nomine mors corporis designatur. ualde nobis
de nostro silentio augetur metus. Quia si in subiectis suis is qui

Paul.

Nostre homicidas prelatos.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Weiterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0185